

*Præ-
fio fu-
tura est
ex de-
termi-
natione
volun-
tatis di-
vine.*

Suarez disput. 2. metaph. sect. 4. censet Scotum videri sentire quod prima causa determinet secundam quoad exercitium concursum suum ad unam tantum rem. Probatur 2. l. 1. sent. d. 39. §. vito de contingentia rerum dicit quod voluntas (divina) facit rem determinate esse veram: & positiva: Patet (ait) quod est determinatio intellectus divini ad illud existens ad quod determinatur voluntas divina & certum infalibilitatis, & d. 41. §. sed contra, Deus (inquit) non prævidet istum bene usurum libero arb. nisi quia vult vel præordinat istum bene usurum eo, quia sicut dictum est d. 39. certa prævisio futurorum contingentium est ex determinatione voluntatis divina: determinat ergo voluntas divina primum ab æterno quid facturus sit, ac deinde hoc ipsum facit in tempore. 3. Probatur ex dist. 8. ubi sic loquitur: Nulla causa secunda causat, nisi prima causa concausante causatur eius, & hoc prius naturaliter quam ipsa causa proxima causat. Dicit, illud prius naturaliter non denotat prioritatem causalitatis, sed perfectionis ac independentiæ; ergo hinc non habetur Scotum sentire quod Deus operetur prius naturâ seu causalitate. Antecedens prob. ex 2. sent. dist. 37. §. ad solutionem, ubi dicitur ait, sicut non prius naturâ materia materiatur, quàm efficiens efficiat; ita in eodem genere, causæ diversæ ordinatæ licet habeant ordinem secundum perfectiûs & imperfectiûs causare, non tamen habent prioritatem naturâ. *Resp. neg. antecedens*, loquitur enim Scotus de prius naturaliter eo modo quæ apud Philosophos causa dicitur prior effectu etiam si non præxiterit illi. Unde l. 1. d. 39. §. juxta, docens voluntatem divinam esse priorem (scilicet causalitate) in ipsius tendentiâ in oppositum addit: *Nec solum ipsa in voluntate prior est naturaliter (seu causaliter) suo actui, sed etiam in quantum est volens*: & statim subjungit quod voluntas nostra est actum ut prius naturaliter suo actui. §. autem precedente ad 3. docuerat quod omnis potentia est eum actui vel ante actum prioritate naturâ. Ad probationem autem respondeo quod licet Scotus non semper confundat prioritatem naturâ cum prioritate temporis, ut patet ex loco dist. 39. jam allegato, aliquando tamen sic eam accipit ut cum prioritate temporis coincidat, & ita accipit dicta d. 37. Ibi enim non rejicit à causis subordinatis prioritatem causalitatis, sed temporis quâ una possit existere sine alia, quod probatur, quia ad prioritatem naturâ non requiritur quod unum possit esse vel causare sine alio: Scotus autem solum rejicit prioritatem quâ unum possit esse vel causare sine alio, dicit enim quod prioritas quæ includit ea posse esse sine invicem absque contradictione, non est ordo in causis, &c. Nec obstat quod explicando dicat prius naturâ i. perfectiûs, quia non intendit admittere inter illas causas solum 4. modum prioris seu dignitatis, sed excludere volens prioritatem eam naturâ quæ datur duo instantia in quorum uno prius potest esse sine altero & quæ reverâ est temporis, admittit prioritatem 5. modi i. causalitatis, quâ causa in quantum causa, & quatenus dat esse, est prior & perfectior effectu considerato quatenus procedit à causa. 4. probatur ex l. 4. sent. dist. 49. ubi dicit quod *Non est contra naturam voluntatis quod determinetur a causa superiori, & c. sed esse contra naturam ejus determinari ab habitu sive a natura inferiori. Ad formam, scilicet argumenti propositi, contra natu-*

ram ejus est determinari in suo ordine, & nihil aliud primo repugnat sibi: sed ex consequenti, est contra naturam ejus determinari a causa inferiori, quia tunc ipsa non esset superior: non est autem contra naturam ejus determinari a causa superiori, quia cum hoc fiat quod sit causa in suo ordine. Contra. Si causa superior determinat, ergo voluntas in suo ordine causandi determinatur, ergo in suo ordine causandi non est contingens. R. propter casualitatem ejus in suo ordine esse æqualis contingentia sed quod effectus qui provenit ab ipsa & alijs, non omnino contingenter proveniat, hoc est quia alia causa prior, est determinata ad illum effectum. Ac postmodum ostendit actum voluntatis à Deo determinatum

B pro tanto esse laudabilem, pro quanto voluntas in suo ordine contingenter se determinat. *Sed obijciuntur* primò, Scotus ibi loquitur de perpetuitate beatitudinis docens eam esse referendam in voluntatem Dei quæ humanam voluntatem determinare i. necessitate potest. *R. 1.* quod Scoto non sint eadem determinare, & necessitate: dicit enim voluntatem ita determinari ut ipsa nihilominus contingenter se determinet: si autem intelligeret eam necessitari, non concederet quod ipsa ipsiusque actus remaneat contingens, contingens enim opponitur necessario: deinde statim probatur ex ejus lib. 1. sent. dist. 39. & 41. supra citata 2. *R. quod licet* ei sit propositum ostendere causam perpetuitatis beatitudinis in progressu tamen §. generaliora assumit, simulque docet non esse contra libertatem voluntatis sive beatorum sive aliorum quod ipsa determinetur à Deo. *Obijciunt 2.* Idem Scotus 1. sent. d. 8. dicit voluntatem nostram esse indeterminatam in determinatione potentia activæ ad utrumlibet non aliter quàm divinam; ergo non determinatur ab alio cujuscunque sit ordinis. *R. neg. Conseq.* Si enim ipsa est indeterminata, ac proinde potest seipsum determinare, ergo & Deus potest eam determinare, ut supra diximus. Est ergo indeterminata non aliter quàm voluntas divina, quoad hoc quod liberè se determinat: Magna tamen est differentia, quod una sit causa prima & independens, alia verò secunda & dependens, quæ proinde sic dependet à prima ut non possit in actum exire se solâ, nisi præmovendo illo qui eam fecit. *Obijciunt 3.* hujus, quare voluntas voluit hoc, dicit non esse aliam causam quàm quia est voluntas, ergo Deus non est causa determinans. *R. neg. conseq.* ibi enim loquitur de voluntate divinâ, ut ex ejus verbis liquet. *Si querat*, inquit, quare voluntas divina magis determinatur ad unum contradicentiorum quàm ad alterum. *R. indisciplinatus esse querere omnium causarum & demonstrationem: & mox. Et ideo hujus, quare voluntas voluit hoc, nulla est causa, nisi quia est voluntas: sicut hujus, quare calor est calefactivus, nulla est causa, nisi quia calor est calor, quia nulla est prior causa.*

E Quod si etiam intelligas de voluntate creaturæ; tunc censendus est solum excludere causam ejusdem ordinis, ut patet in exemplo quod de calore adducit; quamvis enim nulla sit causa ejusdem ordinis cur calor sit calefactivus, nisi quia est calor, est tamen causa superioris ordinis, in cujus voluntatem referendum est non solum quod calor sit calor, sed etiam quod sit calefactivus, ut ex B. Tho. diximus p. 2. art. 4. *Obijciunt postremò*, idem Scotus, in 4. d. 1. q. 1. §. ad argumenta dicit quod non est influentia nova causæ primæ in secundam quando simul agunt; ergo non movet aut determinat illam.